



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

14. Amor Ignatij benignatasque in proximum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

supplicium illud incendij quo flagra-
rem, alterum contumeliæ & conuitia
quibus impij Deum insectantur. Ad
primum quod attinet ne poenam qui-
dem eam arbitrabat, siquidem occur-
rebat aliud multo maius cruciame-
tum cùm audirem sceleratos in san-
ctissimum Dei nomen maledicta
iactantes. Atque hæc est illius oratio.
Quantus ego Dei amor in illo arde-
bat qui erga eum sic erat affectus?
quanta flamma caritatis illud pectus
incendebat cùm nec illa apud inferos
torrentis incendij flumina illam pos-
sent extinguere, aut efficere vt vllum
cruciatum sentiret in poenis, sed iniu-
riam solùm & offensionem delecti sui?

CAPVT. XIII.

*Amor Ignacij benignitasque in
proximum.*

DE hoc flagranti Dei amore succ-
cendebantur faces amoris in Carita-
proximos, propterea quòd illos in tas
Deo, & in illis Deum consideraret. eius in
Vnde dicebat, si ad animorum salu- proxi-
mos.
tem

tem vel minimum pertineret, in publico nudis pedibus, ridiculis & probrosis rebus onustum incedere se paratissimum esse, nec vllum se quamuis vile, quamuis deforme & contemnendum vestimenti genus recusare, si quam animam eo indutus ad Deum posset adiungere. Lutetię homo meretriciis amoribus irretitus erat, quem frustra sæpe conatus fuerat ab hac meretricia familiaritate diuellere: tandem aliquando in frigidissimum se lacum, viæ coniunctum, qua ille transiturus erat immerfit: atque ad turpes delitias properantem magna contentione vocis appellauit: Perge miser deformes & obscenas voluptates positurus, Ego me hęc vsque eo frigore macerabo quoad iustissimam pestem tibi desuper imminentem auertero. Obstupefactus ille & tam singulari caritatis exemplo perculsus incitatum ad nefarios amores gradum reuocauit, & ex impura libidine cui seruiebat emerfit.

Hoc semper admodum diligenter ac studiose cauit, ne maleficia maleficiis compen-

compensaret, sed vt de se male meritis bene mereretur, nec mala solùm beneficiis exæquaret, sed etiam obrueret. Cuiusdam benignitate pecuniam ad se missam studiorum nomine, con-
 tubernali suo custodiendam dederat, quam ille insigni perfidia auertit ad seque transtulit, & Parisiis latenter erupit. Inde Rhotomagi cùm in grauem periculosumque morbum incidisset, quia satis exploratum habebat qua caritate Pater esset, cum litteris inualetudinis suæ certio-
 rem fecit, atque ad extremum perinde ac si beneficio sibi obstrictus esset, rogauit, vti Rhotomagum celeriter aduolaret auxilio sibi futurus. Hic illicò pro eius salute Deum religiosè precatus in viam se dedit, atque ad opem miserè ferendam Rhotomagum, quod Parisiis triginta milliariis abest, adiit incredibilem animi magnitudine ac robore præditus magna-
 que animi voluptate perfusus. Et hoc quidem iter nudis pedibus triduo confecit, ita cibo ac potione vacuus vt ne aquam quidem gustaret quo hisce laboribus tan-
 quam

Caritas in eos qui iniuriam intulerant.

quam sacrificio Deum placaret & fraudatori suo salutem impetraret. Alius Lutetiæ multis ab eodem beneficiis affectus, malo spiritu afflatus & amens Ignatium è medio tollere decreuerat, cuius rei perficiendæ causa cum gradus adscendisset, hanc coelo delapsam formidolosam vocem audiuit: Infelix quid agis? qua voce contremuit timore perterritus, & flens ad ipsius se pedes abiicit, eique sui consilij prauitatem exposuit, hic autem blanditiis hominem moerentem deliniuit, iacentem erexit.

Hæc tamen tanta caritas & animi mansuetudo consequi non potuit, ut hic idem in ea de qua diximus tempestate, quæ ante confirmationem Societatis postea Romæ commota est, non ipsum Patrem calumniis mendaciisque oneraret, & inuidiæ faces ei subiiceret. Posteaquàm verò is iudicium sententia iustas temeritatis suæ poenas luit, & tempestatas sedata est Pater ut bene facta malè factis rependeret, in Societatem adscripsit rogatus eorum precibus, qui eam procellam

cellam

cellam excitarant, hominem in Societatem adscripsit, quamuis iusto Dei iudicio postmodum ab ea defecerit. Si talibus beneficiis alienos affecit & à quibus in perniciem vocabatur, quid mirum si suos iisdem prosequeretur? Cùm Pater quidam ex iis novem quos Parisiis eduxerat ita vehementer oppugnaretur à dæmone, ut eius salus ageretur, eum continuis precibus & lacrymis periculo liberavit, quibus inedia talis accessit, ut tres ipsos dies neque cibum neque potionem gustaret. Alius quidam Pater nescio qua in re fræna disciplinæ laxarat, & cancellos rationis egressus, Patris animum ob damnum quod in alium redundabat graui mœrore molestiâque contraxerat. Ille porrò de eo vindictam eiusmodi sumsit: lacrymas effudit, Deumque suppliciter pro eius salute rogavit, atque inter sacrificandum ex intimo sensu clamavit: Ignosce illi Domine, nescit enim quid faciat. Alius non nemo è fratribus aliquando fastidire cœpit institutum vitæ suæ illudque velle deserere. Cumque

que iam fixum & statutum haberet Deum fontem aquæ viuæ relinquere, cisternasque repetere quæ aquas gratiæ continere non valent, sentiretque Pater id ab inani metu profectum, quòd admissa quædam delicta confiteri pudor vetaret, eum adiuit & destinato consilio deformitatem ipse superioris vitæ suæ ei commemorare coepit, quam cæcus fuisset in vanitate cordis sui, quanta fluxarum rerum cupiditate irretitus, vt ægro superfluam hanc excuteret verecundiam doceretque diuinæ misericordiæ ac bonitatis confidere.

Ignatij
in sub-
ditos
benig-
nitas.

Quid dicam eius affabilitatem & comitatem in omnes, in primis in eos qui in eius erant potestate? quid de eorum salute perpetuam sollicitudinem & curam? quid quanta lenitate indulgeret ignauis, lapsos erigeret, moerentes releuaret, timidos excitarret, misereretur naturæ vitio laborantium aut morbis? Etenim mirabantur omnes quanta sollicitudine curares diligentem ægrotorum rationem habendam; mihi que dixitque aliquando
se singu-

se singulari diuinæ prouidentię decre-
to infirmioris valetudinis esse, vt suis
ipse doloribus, aliorum incommodis
disceret ope & commiseratione suc-
currere. Vicentiæ cum febris æstua-
ret, renunciatum est illi P. Simonem Ro-
driguez oppressum morbo decumbe-
re, & Bassanæ (quod oppidum Vicen-
tia diei itinere disiunctum est) de vita
periclitari: in viam ergo repente se-
dedit cum P. Fabro ad eum visendum
& consolandum, ambulabatque æger
licet tanta hilaritate & pedum mobi-
litate, vt P. Faber eum consequi vix
posset. Aliàs P. Laynem iter cum eo
facientem repentinus & acerbissimus
dolor oppressit, quem vt inde leuaret
Ignatius, denario quem vnicum pre-
cario acceperat, equum conduxit, in
eumque Laynem vili detrimentoque pal-
lio suo inuolutum imposuit, antecede-
bat autem ipse tanta animi alacritate
& celeritate pedum, vt equus, sicut
mihi Laynes narrauit, in eo conse-
quendo laboraret.

Sed nulla re magis paternum amo-
rem prodebat in filios, quàm in eorum
existi-

existimatione curanda, in spiritu virtutibusque progressu, delendisque sempiterna obliuione delictis, quæ vel humana imbecillitate vel imprudentia committebant, si illa saltem agnoscerent, eorumque pœniteret, & aliquod specimen emendationis darent. Hac amabili & paterna lenitate aliisque generis eiusdem rapiebat animos suorum, & quamcunque volebat in partem impellebat, eosque ad arbitrium suum, & purum Dei amorem, in quo vera consistit perfectio, effingebat.

Ignatij caritas
suavis
& fortis.

Verùm hic amor in filios non debilis erat aut remissus, sed suavis æque ac fortis. Neque magis benignus erat in modestos & obsequentes; quam in superbos & contumaces seuerus. Ad hoc scilicet vnicè nitebatur vt suos ad virtutem incitaret, beneque ad illud vitæ genus quod profitebantur animaret. Tractabat omnes vel remissè vel grauitè, vnumquemque ad naturam suam accommodatè, semper tamen caritatis lege seruata. Tantaque industria lenitatem cum seueritate iunge-

iungebat, vt tametsi suos omnes indifferentes in rebus agendis esse vellet, sine propensione in alteram partem; tamen cuiusque naturam perspiciebat, & quemque ad suam propensionem aptè regebat. Intelligebat enim quàm laboriosum sit niti repugnante natura, nec quidquam violentum esse diuturnum. Atque hanc quidem *adiaphoriam* ita sartam tectã esse cupiebat, vt in ea quidem exigenda, religiosa seueritas, in altero verò præstando paterna humanitas eluceret.

CAPVT. XV.

Deuotio Ignatij donumque lachrymarum ac reliquarum eius virtutum enumeratio.

EXitum historiæ nunquam inueniremus, si admirabilem B. Patris amorem persequi, reliquasque virtutes eius innumerabiles commemorare vellemus; plusquam humanam in constituenda hac Societate prudentiam, animi magnitudinem in suscipiendis rebus arduis, contrariis ad-

Summa virtutum eius enumeratio.

E uersisque